



Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiae

Barbosa, Agostinho

Lipsiae, 1697

Cap. XXXIII. De Advocatis & patronis causarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

CAP. XXXI.

De Adjunctis v. infra
de accidenti.

Axioma I.

Ratione adjuncti sæpè conceditur, quod
per se non concederetur. l. 15. de Aq. & Aq.
pluv. l. Rejectionis ii. §. si prope. i. Commun.
prædiorum. Marc. Mantua. Bonavitus. i. ob-
serv. legal. 3. ubi late.

II.

Quod profertur cum adjuncto non est
propriè tale. l. 7. §. 5. de don.

Adolescens. v. infra Juven-
tus.

CAP. XXXII.

De Adversitate, cala-
mitate.

Bonorum adversitas non est reprobatio,
sed virtutis probatio. c. adversitas 48. causa
7. quæst. 1.

CAP. XXXIII.

De Advocatis & patro-
nis causarum.

Axioma I.

Advocatorum quidam rudes sunt & ty-
rones, alios nobilissimos facit & meritum
& vetustas. l. 7. C. de postulando. Unde Joh.
de Am. in rubr. de del. puer. 2. col. juvenes
Advocatos litium confusores dicit, & sanè
advocatoriæ malitiæ juventutem, sæpè &
ignorantiam causam esse meritò conqueritur.
Carpz. lib. 1. cons. 1. def. 18. num. 12. & 14. In-
veniuntur tamen qui & in Juventute laudabi-
liter de jure responderunt (exemplum Ner-
væ filii) Cui elegans in l. 1. §. 3. de postul. qui æ-
tatem doctrina suppleverunt, nam si indocti
sint Advocatorum appellatione redduntur
indigni. vid. l. 1. §. 2. & gloss. ad l. 1. §. 11.
verb. quoque studio. de var. & extraord. co-
git. Rectè ergo in benè constitutis rebus pub-
servatur, ne admittantur advocati, priusquam
publicum testimonium suæ eruditionis &
profectus in studio juris exhibuerint, vel ali-
ter de eo fidem fecerint: malè contra velut in
comediis passim exhibentur larvæ, pro Juris-
consultis Legulei, pro militibus latrones, pro
politicis nebulones, pro Oratoribus procura-
tores & Rabulæ, pro historicis pueri, pro ad-
vocatis scribæ & opifices. Carpzovius dist.
loc. ubi cit. Everhard. à Weihe de van. glor.
mund. pag. 36.

II.

Sicut de malis leguleis & fori rabulis non
immerito Joh. Bapt. Magon. de rect. patro-
rat. pag. 1. cap. 11. num. 9. ait, quod ubi advo-
catorum turba strepat, ibi litium anfractibus
tota ardeat civitas, nec aliqua à litigio
vacet domus: Ita e contrario de bonis Jctis
dignum Imperatoris Friderici elogium in
auth. habita C. Ne filius pro patre. Quod eò-
rum scientia totus illuminetur orbis, & ad
obediendum Deo & magistratui vita subje-
ctorum informetur, Col. de process. execut. p.
2. c. n. 19. imò non minus, secundum Leo-
nis & Anthemii oraculum, provident huma-
no generi, quam si præliis atque vulneribus
patriam parentesque tueantur l. 14. C. de Ad-
vocat. divers. judic. vide de hære cum pluri-
bus cit. Carpz. 3. cons. 2. num. 2. 3. ubi rectè
utentes legibus meliorem vitam ducere quam
religiosos docet.

III.

Ideò inventum Advocationis officium
ut lites dirimantur, amicitia inter homines
conservetur, litigaturis succurratur, qui
suum tueri & causam dicere ignorant. Me-
noch. de arbitr. jud. quæst. lib. 2. cas. 369. Ca-
gnol. in l. 2. §. post originem 7. num. 15. de o-
rig. juris. ut autem hunc finem obtineamus,
non sufficit sola eruditio, nisi cum pietate
conjuncta, sine hac enim parum commodi
acceder clientulis ab Advocatis, in literis
etiam optimè versatis: quippe quod impii
plus ad subversionem veritatis ac litigiorum
augmentum, quam ad dilucidationem justi-
tiæ & litium directionem exerceant. Ma-
gon. de rect. patro. rat. pag. 1. c. 6. n. 18. le-
gum sanctiones saluberrimas in cautelas &
technas nocentissimas convertentes, lites
protrahentes, dilationes quærentes, causas-
que quærentes, ut litigantibus plus quam to-
tum auferant, ex quo major est expensarum
sumtus, quam sententiæ fructus, nec ter-
minant negotia pauperum, quousque eo-
rum marsupia sunt evacuata, ut loquitur In-
nocent. lib. 6. de util. condit. human. Si-
gism. Scacc. de jud. lib. 1. c. 50. n. 33. Carpz.
lib. 3. resp. 5. num. 8. & 9.

IV.

Causas perorantes aliqui timidius, aliqui
audacius agunt, l. 14. §. 1. C. de judic.

V.

Advocati non debent maledicendi studio
convitiis res agere, alioquin infames fiunt
c. infames 3. q. 7. l. 6. §. 1. C. de postulando.
Circa quos judicem non nimium patientem
esse oportet, ne contemptibilis reddatur,
l. 9. §. 2. de offic. Procons. quibus linguas
præcidendas Bernhardus dixit; alii secundum
arbitrium judicis puniri eos svident,
quos vide, cit. ap. Carpz. p. 1.
cons. 1. def. 19.